



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. De gratia habituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

rit concursum moralem per propositionem doctrinae, & si admisisset adjuvari ipsum velle, nihil inter illum, & Aug. controversia relinqueretur. Ergo opponens se illi August. non admisit moralem solum, sed & physicam causalitatem.

RESPONDETUR Conced. Totum, referendo tamen hanc causalitatem physicam non in actus vitales, sed in alia principia. Deinde differentia August. in praesenti puncto à Pelagio in duobus fuit: quia mittebat etiam interiori gratiam excitantem, & adjuvantem, eamque supernaturalem, quam non admittebat Pelagius. Hoc autem & nos tenemus. Deinde admisit ad ipsam volitionem & opus bonum auxilium supernaturale. Sed inde non colligitur, quod illud auxilium stet non nisi in physico concursu excitantis gratiae, non autem in concursu Physico ipsius gratiae adjuvantis. Et sic interpretamur cap. 8. 11. 13. 18. Quando autem motio illa dicitur effectrix bonae voluntatis, hoc solum significatur. Quod posito illo actu efficiatur & ponatur bonum opus à voluntate aliunde adjuvata. Enchirid. cap. 32. solum indicat elevationem à Deo proficisci, & sicut ipsa praeparatio non est necesse, ut fiat ab alio actu vitali, sine ipsa adjuvatio.

DICES 3. Actio quae potest commodè adscribi causis secundis, non est immediatè adscribenda Deo.

RESPONDETUR. Esse incommodum, tribuere vim, uni actui vitali, effectivam respectu alius, cum hoc aliàs etiam in natura non detur, essetq; multiplicare miracula; saltemque contrariè implicat id fieri; Nam connaturaliter actus non est potentia.

DICES 4. ex Esparza. Gratia Dei non solum regit, sed & agit nos dicitque August. plus est agi, quam regi, non esset autem plus, si causalitati morali gratiae non superadderetur efficientia physica. Unde etiam dicitur gratiam non solum ostendere viam, sed & subministrare vires.

RESPONDETUR. Agi illud, posse optimè tribui non gratiae sumptae pro motibus vitalibus, sed gratiae sumptae pro adiutorio Dei, ab illo immediatè exhibito, hinc non tribuendo actibus vitalibus causalitatem physicam, totum in negotio salutis debet tribui Deo: quia ille elevat, dat vires agendi, seligit auxilium.

INSTAT Idem. Quia contra Pelagium totus erat Augustinus in ostenda insufficientia naturae, insufficientia autem virium praecipue respicit activitatem physicè efficientem. Et certè si voluntas esset de se sufficiens ad actus deliberatos, esset etiam ad indeliberatos. Quod si dicatur, jam illa inspirationes, & illustrationes non haberent amplius rationem gratiae, quod est Semi-Pelagianismus.

RESPONDETUR. Etiam nostra sententia admittit insufficientiam naturae, sed illam negat juvari ab efficientia physica aliorum actuum, quam ponant actus vitales, sed ab adiutorio Dei, gratiaque cooperante.

DICES 5. In oppositum esse Fulgent. qui docet, Dei esse ut bonum facere velimus, & ut bonum facere valeamus.

RESPONDETUR. Ly valeamus, infert quidem concursum physicum, sed gratiae cooperatoris, non autem ipsius actus vitalis.

DISPUTATIO VII.

De Gratia Habituali, Necessitate Gratiae, Merito.

Ut omnes Species gratiae simul explicentur, tractandum erit imprimis de Gratia Habituali, de qua non pauca dicta sunt in materia de Pœnitentia, & locum etiam habent aliqua in materia de Charitate, attingentur propria huius loci.

QUÆSTIO I. DIFFICULTAS I.

De Gratia Habituali.

Post alia Concilia, gratiae habitualis naturam perscrutatus expendit Trident. Ad cuius Doctrinam intelligendam, dicenda deservient.

An detur, & quid sit Gratia Habitualis.

ASSERO I. Certum esse de fide dari Gratiam justificantem.

Pluribus Auctoritatibus id non probo. Suffecerit illa ad Tim. 3. v. 7. *Ut justificati, inquit, gratia*

gratia ipsius, heredes sumus, secundum spem vite eternae.

ASSERO 2. *Certum esse de fide, hanc gratiam esse quid in nobis permanens.* Rationes ab auctoritate petitas plures format Suar. Lib. 6. de Grat. cap. 1. Earum robur non esse demonstrativum ostendit Arriaga d. 43. S. 1. Et certe multae ex his Auctoritatibus, possunt accipi de adventu Spiritus S. in nos, per adjutorium elevans, & complens nos hic & nunc ad actiones supernaturales sanctas, quibus suo modo sanctificamur, adjutorium autem tale non est quid permanens. Quamvis etiam appellemur templum Dei, id non probat gratiam, esse aliquid permanens: Nam etiam templa censentur a Deo inhabitari; etiam si nihil permanens in illis reperiatur sicut & illa verba: Et ad eum veniemus, non sunt intelligenda, de aliquo permanenti Trinitatis quae talis accessu. Multa alia loca tam PP. quam Conciliorum, possunt de solo favore extrinseco: item de auxilio indebito eoque actuali, intelligi: Nam sub initium controversiae cum Pelagianis, & Semi-Pelagianis, sollicitè loquebantur PP. de solis auxiliis naturae indebitis, non autem de aliquo permanenti. Bene tamen Asserunt.

PROBATUR auctoritate Trident. idque variis locis. Sess. 6. c. 7. describit justificationem, quod non sit sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, & donorum; nemo autem dicitur voluntarie suscipere suos actus, sed dona ab alio collata, discurrensque infra Trident. de justitia quae justificamur, subdit, quae videlicet: *Ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, & non modo reputamur, sed verè justì nominamur, & sumus, justitiam in nobis accipientes unusquisque secundum suam mensuram, quam Spiritus S. partitur suis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem.* Inferius adhuc subdit. *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret.* Jam autem quod inhaeret, id quod in nos recipimus, & quod Deus partitur tantum effectum quodammodo cooperationis nostrae, debet esse quid permanens. Unde etiam idem Trident. Sic format Can. 11. de justificatione: *Si quis dixerit hominem justificari, vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam quae justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* En toties meminit Trident. receptae in nobis justitiae, nobis inhaerentis, &c. similia; quae omnia non significant solos actus nostros, sed aliquid plius.

Sed estne de fide, quod justificemur per qualitatem, vel habitum: Nam licet Trident. agat, quod justificemur per aliquid permanens, potest nomine permanentis intelligi permanentia mora-

lis; ad eum modum, quo dicitur aliquis in peccato manere, diciturque originale inhaerere in non renatis, quamvis ista permanentia, & inhaerentia sit nonnisi moralis.

Circa hujus decisionem variant Auctores. Nam alii cum Scoto, Gabriele, Almains, Vega, etiam ante decisionem Trident. putant hoc fuisse de fide. Alii id putant, nec post Trident. de fide esse. Talis est Sorus, Med. Bann. Joan. Vincent. Canus, Curiel. Martinez, Monterius, Henricus, Tann. Sal. sed Vasq. & Torres loquuntur cum restrictione; nempe quod justificatio, quae in baptismo, & Poenitentia recipitur, fiat per habitum.

Esse tamen id de fide, docuit cum aliis Suarez citatus cap. 3. n. 6. Bellar. Urgerique pro hac veritate possunt loca illa Trid. supra allegata, quae longè simplicius acciperentur ponendo qualitatem permanentem, favetque Catech. jussu Pii V. editus qui sic habet. *Est autem gratia quemadmodum Trident. Synodus ab omnibus credendum parâ anathematis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum sit remissio; sed divina qualitas in anima inherens, qui Catechismus cum propè tempora Tridentini editus fuerit, viventibus iis qui aderant Concilio, bene sciri poterat de mente Concilii.*

ASSERO 3. *Gratiam non rectè definiri quod sit qualitas quaedam physica inherens anima, reddensque nos dignos amicitia Dei, & vitâ aeternâ.*

RATIO. Quia restat quaerere quare hoc praedicatum conveniat gratiae. Nec rectè describitur quod sit qualitas supernaturalis, in esse filii Dei constitutiva. Ratio, quia est repetibilis ulterior conceptus in quem hoc ipsum resolvitur potest, quare scilicet gratia reddat filium Dei adoptivum. Deinde per multos non est de fide gratiam esse qualitatem physicam, non ergo definitio debet restringi ad particulare principium. Hinc commodius describetur gratia, quod sit donum supernaturale stans in participatione naturae divinae. Assumitur ly donum pro genere quia omnis gratia est donum; & ut agatur de gratia supernaturali, ly supernaturale ponitur. Differentia autem hujus doni est desumpta ex ada Petri 1. *Per quem maxima, inquit, & pretiosissima nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamini divinae consortes naturae.* Ipsaque filio, resolvable est in participationem praedictam: Ideo enim aliquis est filius: quia participat de natura. Quod ipsum ut explicetur. Sit

DIFFICULTAS II.

Quid sit Gratiam esse consortium naturae divinae.

GRatiam esse participationem naturae divinae, dictum in mat. de Poenit. cujus inibi reddita ratio: quia sicut natura est principium

motus, radix proprietatum, &c. ita & gratia est principium motus supernaturalis, radix, & existivum reliquorum habituum, & hoc quidem sufficit ad defendendum, quomodo gratia competat esse naturam. Sed restat querere, quare illi competat esse participationem, similitudinem, imaginem naturæ, non utcunque, sed naturæ divinæ. *Sic*

Punctum Difficultatis 1.

Quid specialis participatio Naturæ divinæ, per alios?

EXPLICAT I. Lessius lib. 2. de summo Bono, cap. 1. n. 4. & 5. & post illum Petavius tom. 2. lib. 8. c. 4. Gratiam esse specialem participationem naturæ divinæ: quia est vinculum ipsius Divinitatis, quo tota nobis Divinitas communicatur. Cui Divinitati tribuit rationem principalem nostræ justificationis, ad eum modum, quo ab unionem hypostaticam Christus dicitur Filius Dei: Sicut enim ibi unio hypostatica se habet instar vinculi, non formæ principalis: ita & hic gratia justificationis: quia autem restabat querere in quo sit ratio vinculi, itaque de hoc discutitur. Quia scilicet ita secum trahit naturam divinam, eamque nobis præsentem & inhabitantem facit, ita ut etiam si ipsa non esset immensa & ubique, tamen eam nobis intimè præsentem sisteret: quia unio Deitatis per gratiam non est solum per affectum; sed per naturæ communicationem, & inhabitationem spiritus. Hanc sententiam censurat Ripalda, d. ult. n. 127. sed eam a Censura vindicat Rozmer, modò etiam gratia tribuatur ratio perfectæ sanctitatis ad eum modum, quo non contradicit Trid. qui tenet etiam contritionem justificare, & qui præter infusionem gratiæ requirit condonationem divinam extrinsecam. *Cæterum hæc Explicatio*

NON SATISEACIT. Tum quia, sequeretur quòd filiatio adoptiva & naturalis, ejusdem forent dignitatis, quoad formam dignificantem, totaque esset inæqualitas in modo participandi; sicut æqualis est dignitas Dei ipsius & Christi, spectata dignitate secundum formam dignificantem, licet cum inæqualitate orta ex modo participandi: Nam quamvis ponantur plures æquivalenter gradus bonitatis in conjuncta per gratiam Divinitate: quia tamen, quicunque erit gradus, adhuc ille erit Deus, & quid increatum, adhuc secundum rationem formæ, erit æqualitas inter filiationem naturalem, & adoptivam. Hinc esset subiectum illud capax infinitæ sanctitatis, quia esset capax vel unius gradus, qui tamen Deus esset, adeoque capax infinitudinis sanctitatis. Et sicut, quia non est divisibilis ratio personæ, hoc ipso, quia illa unitur humanitati, reddit illam infinitè dignam, ita cum unus ille, ut ita dicam gradus

non sit divisibilis, sitque Deus increatus & infinitus, hoc ipso, quia ille gradus unitur, reddet subiectum infinitè sanctum, consequenter omnes essent æqualiter sancti, quia infinitè sancti. Æqualitas autem hæc non potest asseri: quia nunquam hanc æqualitatem posuerunt PP. quibus standum in taxa entium fide revelatorum. Et sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate; ita nec dignificanda. Tum quia. Et adjungeret nobis gratia, ut supponitur, Deitatem Spiritus S. nos constituentem in ratione filii adoptivi; & non adjungeret. Adjungeret quidem ut supponitur, non adjungeret autem ut probatur: quia unio illa non esset hypostatica: hæc enim facit filium Dei naturalem; non esset etiam unio meræ indistantiæ: quia hæc habetur independentem etiam à gratia, & quæcunque sit, erit nonnisi de linea loci. Non etiam aliqua alia tertia. quæ enim illa? Quomodo ergo adjungeret justificatio Divinitatem. Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur. Illa gratia & traheret secum naturam divinam faceretque nobis præsentem, etiam si non esset immensa, & non traheret. Traheret ut supponitur, non traheret autem, quia non est ratio, unde illic hæc tractio oriretur. si non ponatur unio hypostatica: quia ex duplici nonnisi ratione talis tractio haberi potest; vel ex unionem hypostatica, vel ex unionem formati, & informantis, quæ enim tertia esset unio. Neque valet si dicas esse naturam talem gratiæ. Prius enim ostendendum est hoc esse possibile, & postea recurrendum ad hoc principium, quòd hæc sit natura gratiæ. Rursus etiam posita possibilitate talis unionis; & constitueret illa filium Dei, ut supponitur; & non constitueret: quia duplicem possumus illam alligationem cogitare. Inprimis meram localem, adferentem præter immensitatem novum titulum præsentiae hic, & hæc nihil facit ad constituendum in esse filii Dei, per quid ergò transitur, ut illa alligatio sit Constitutio in esse filii Dei adoptivi: præcipue cum ipsa entitas gratiæ in tantum per se constituit in esse filii Dei; in quantum est illa alligatio. Deinde potest cogitari alligatio constitutiva in esse filii Dei, quæro, ut dixi, per quid ad illam deveniatur, ut non sit mera alligatio localis.

Tum quia. Vel alligatio illa terminatur ad naturam divinam, vel ad naturam Spiritus S. vel ad personalitatem præcisè Spiritus S. non ad naturam divinam; quia sic sanctificatio illa, & constitutio in ratione filii, non minus tribueretur Spiritui S. quam toti Trinitati. Sicut si unio substantialis per impossibile terminaretur ad naturam divinam omnes tres Personæ æquè unirentur; & tamen constitutionem in esse filii adoptivi tribuit Petavius Spiritui S. Quod si alligatio illa est ad naturam Spiritus S. seu ad naturam, prout simul terminatam ad naturam & per-

& personam illius, tunc deberet esse æquæ primo terminata ad utramque virtualitatem; vel dari duplex alligatio, duplexque gratia: quomodo enim aliter utramque virtualitatem alligaret. Non potest autem dici primum. Quia secundum dicta, si æquæ immediatè terminaretur ad naturam divinam; tota jam Trinitas sanctificaret. Secundum etiam dici non potest; quia multiplicat entia sine necessitate. Non etiam terminaretur illa alligatio præcisè ad personam Spiritus S. quia poneretur similis difficultas in illa, qualis in unione hypostatica, quomodo scilicet, alliget immediatè personam, & non alliget immediatè naturam illi identificatam. Quæ mysteria non sunt ponenda, nisi id requiratur ad salvandum articulum fidei. Quando autem PP. expressè habent, quod non per aliquod donum; sed per se ipsum nos Spiritus S. sanctificet, hoc solum intenderunt. Quod scilicet nomine Spiritus S. non veniat donum quod ponebant hæretici; ut excluderent personam Spiritus Sancti. Sed significant dari Spiritum S. personamque ejus concurrere ad nostram sanctificationem, cum Catholici sanctificationem Spiritui Sancto appropriemus.

EXPLICAT 2. Suarez Lib. 7. de Grat. cap. 1. à n. 26. & post illum Bertoldus de Grat. n. 89. Ideo gratiam esse participationem naturæ divinæ: quia est in gratia, convenientia formalis cum natura divina prout ab attributis distincta. Porro natura divina stat in formalitate intellectivitat, quam participat gratia: quia illi tanquam principio visio intuitiva Dei connaturaliter debetur. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Lumen gloriæ non est gratia justificans, & tamen habet convenientiam formalem cum natura divina in formalitate intellectivitat: elevat enim intellectum, & unà cum illo comproducit, idque connaturaliter intellectionem. Nec obest quod ipsum Lumen gloriæ debeatur gratiæ. Quia in sententia distinguente realiter potentias ab anima, nemo arguit intellectum non esse intellectum: quia exigitur ab anima. Ergo nec quisquam ex eo arguet lumen non habere formalem convenientiam cum intellectivitate divina: quia exigitur à gratia: quod si habet formalitatem intellectualitatis, hoc ipso dicit convenientiam cum natura divina; quæ per explicantem, stat formalitatem intellectivitat. Tum quia. Aliud est exigere primum principium intellectualitatis, & aliud esse ipsum de linea intellectualitatis. Sicut aliud est exigere senatorium gradum, & aliud esse ex illo. Ergo quod tantum exigit intellectualitatem, & neque est intellectualitas in actu primo, id est, non est principium influens in intellectionem elicitive, nec est actualis intellectio, illud certè non est de linea intellectualitatis. Gratia autem, nec eli-

cit visionem Dei, nec ipsa est intellectio. Tum quia. Possibilis est gratia æqualis in ratione delictivi peccati præsentis gratiæ; & tamen non exigitiva visionis. Ergo apparet, non esse de ratione gratiæ ut sic istam exigentiam visionis. Tum quia. Convenientia in gradu intellectualitatis constitutiva gratiæ in esse specialis participationis naturæ divinæ, vel statim intellectualitate quali naturæ divinæ, & sic & Angeli, & animæ rationales erunt substantialis naturalis gratia: quia participant formalitatem intellectualitatis. Si autem stat in intellectione quæ sit visio, quærendum restabit, quare illa prior non est constitutiva in esse participationis naturæ divinæ sufficientis ad gratiam substantialem naturalem, est verò illa posterior sufficientis ad constituendum in esse gratiæ supernaturalis. Addit Ripalda. Possibilis est justitia habitualis identificata cum habitu fidei incompossibili cum visione Dei; justitia item indigens elevatione ad videndum Deum, hoc est, cui sit supernaturale, dicere nexum cum visione beata. Ergo apparet, non idem esse confortium divinæ naturæ, & exigentiam visionis: imò & justus prout est in via, est particeps naturæ divinæ, & tamen justo prout est in via, non debetur visio Beata. Ergo non idem sunt confortium naturæ divinæ, & exigentia visionis Beata.

EXPLICAT 3. Oviedo. De Justific. contr. 1. n. 27. Duo sunt propria divinæ naturæ, habitus ad omnia opera honesta, & inhabilitas ad opera prava, quæ duo per participationem hominis ex vi gratiæ consequitur: formam enim sanctificantem habitus supernaturales comitantur, & ipsa est impossibilis saltem naturaliter cum mortali peccato. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Concedo hæc duo esse propria naturæ divinæ. Sed Nego, quod sint natura divina formaliter loquendo. Ergo similitudo in illis non erit similitudo in natura divina. Tum quia. Proprium est naturæ divinæ, ut assentiatur infallibiliter vero, & ut non possit assentiri falso. Utrumque hoc habet habitus fidei suo modo: quia est principium infallibiliter assentiendi vero revelato; & non assentiendi non revelato; & tamen ex hoc non sequitur, quod fides sit specialis participationis naturæ divinæ, constitutivaque in esse filii; Ergo ex sola similitudine, ad id quod est proprium naturæ divinæ, non rectè inferetur dari confortium naturæ divinæ hoc ipso. Tum quia. Proprium naturæ divinæ, est quid consequens ad naturam divinam: nemoque dicit, prædicta prædicata esse formalissimè naturam divinam. Ergo quod debet dicere participationem naturæ divinæ, non debet explicari per similitudinem, ad illa consequentia.

EXPLICAT 4. Ripalda. Succus explanationis in hoc est. Ideo gratia est specialis participatio

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur participatio naturæ Divinae inclusa in Gratia.

PRÆMITTO 1. *Naturam ut sic esse principium motus & quietis*, de quo actum in Philosophia, & repetito in I. P. ubi de primo essentiali conceptu Dei, generatione Verbi, &c. hinc esse simile, & participativum principii motus & quietis, erit esse simile in natura.

PRÆMITTO 2. *Naturam dupliciter dividi posse quantum ad præsens. Imprimis:* In naturam physicè spectatam; in quantum scilicet est principium motus & quietis physicè. *Secundo.* In naturam moraliter per accommodationem, proportionaliter. Quod posteriori etiam modò rectè sumatur natura. Ratio est. Tum quia. Usus obtinuit hanc vocem; & ita homines mansuetos appellamus optimam naturam. De Deo etiam frequenter usurpatur, hæc phrasis. Cujus natura Bonitas. Tum quia. Hoc quod est principium motus & quietis physicæ, bene potest appellari natura physicè. Ergo etiam quod est principium motus & quietis moralis, bene potest appellari natura moralis. Tum quia. Una eademque entitas ratione diversorum ordinum, connotatorum &c. fundat diversas definibilitates. Ita unus idemque homo definitur à Metaphysico per compositum ex materia & anima rationali: à Logico per rationem principii operationum intellectus rectificabilium Logicè, ab Ethico per principium vel subiectum operationum rectificabilium moraliter. Ergo etiam eadem entitas ratione diversarum considerationum, & ordinum, potest habere diversas formalitates naturæ, adeoque etiam formalitatem naturæ moralis. quæ ipsa ratio ulterius in hoc fundatur. Unaquæque entitas habet suas convenientias & differentias; convenientias quidem: quia ultimum uniuscujusque in methodo resolutiva est ens, & primum in methodo compositiva est etiam ens. Hinc fundatur ut omne ens dicat convenientias; hoc ipso enim si non diceret convenientias, non diceret etiam convenientias in ratione entis: Nam convenientiæ in ratione entis sunt convenientiæ; si non diceret convenientias in ratione entis, nec diceret rationem in methodo compositiva primam in ratione entis; consequenter deberet dicere in methodo compositiva primam rationem contradictoriam; nempe rationem non entis: nam inter contradictoria non datur medium. quomodo autem id, quod est, non componitur per ens, & quomodo hoc ipso id, quod est, non est id, quod non est. Unaquæque item entitas habet etiam suas differentias; hoc ipso enim implicaret, si, cum non

(T)

sit aliæ

patio naturæ divinæ, quia est expressio ad referendam Deitatem, quæ ipsa præter conformationem cum Deitate; & processionem ab illa in hoc stat. Quia expressio illa activa Dei, non est quæcunque productio, sed specialis: quia Deus non omnia quæ producit exprimit; quippe præter concursum quem confert titulo omnipotentia omnibus creaturis communem, denotat concursum peculiarem titulo naturæ, quæ natura est, ratione cujus, etiam si Deus non esset omnipotens, vendicaret natura divina speciali titulo in gratiæ productionem concurrere, quemadmodum in visione Beatam, imaginemque intentionalem Dei, confert titulo objecti concursum specialem. Porro repræsentat gratia naturam divinam, prout natura divina, excellentiâ suâ, est prona & potens, ad omnes & solas operationes bonas moraliter, repugnans autem malis moraliter. *Hæc Explicatio.*

NON SATISFACIT. Tum quia. Concursus ille quem exhiberet specialiter natura in emanatione gratiæ, vel esset in genere causæ efficientis, vel in aliquo alio genere causæ. Non primum: quia natura independentem ab omnipotentia nihil producit ad extra; nihil enim producit independentem à principio productivo ad extra, quod est sola omnipotentia. Non secundum. quia quocunque alio genere causæ posito non poterit salvari, quæ gratia emanet à natura divina: vel enim ista emanatio est per modum proprietatis, & hoc non; quia deberet esse quid increatum. vel per modum ad extra positi, & sic nihil emanatur, nisi ratione productionis per omnipotentiam: Emanatur enim tanquam quid creatum, ad omne autem creatum formalissimè se extendit Omnipotentia. Tum quia. Quæ adfert de concursu objecti, huc non faciunt: quia vel conceditur objecto concursus ad intellectionem per se, vel per sui speciem in genere causæ efficientis ut ordinariè assumitur, & hoc in præsentem non poterit usurpari: quia talis concursus in genere efficientis, spectat ad Omnipotentiam. Ripalda autem vult ponere concursum distinctum à concursu omnipotentia; vel conceditur objecto concursus in genere causæ terminantis, & sic non salvabitur jam emanatio, quæ requiritur per Ripalda ad participationem naturæ divinæ: objectum enim terminans notitiam, non emanat notitiam. Tum quia. Natura divina non est formaliter potentia ad operationes bonas, sed hæc potentia, est quid consequens ad naturam. Neque valet si recurras ad sanctitatem radicaliter acceptam: Nam ut dictum alibi, non quæcunque formalitas radicaliter accepta constituit formaliter naturam; sed sola quæ non datur prior. Jam autem non est quid primum, potentia ad operationes bonas, etiam radicaliter accepta.

fit aliæ entitates, non diceret differentias ab illis, hoc ipso enim non esset aliud ab aliis entitatibus: imò ipsum ens saltem sub alio nomine, contractaque ratione entis acceptum est ratio differendi; & acceptum sub nomine entis etiam communissimè dicit rationem differendi à nihilo, & nihili quibuscunq; & quilibuscunq; speciebus: & hæc est quasi objectiva, in formalitatibus conveniendi & differendi, numerositas plurificatioq; entium. Huic objectivæ numerositati accedit postea formalis numerositas, pluralitasq; petibilis ab aliis, & aliis attingentis intellectualibus, & voluntatis, & quia objectiva illa singularum numerositas est alia & alia, ideo aliâ, & alia definitione definiri potest, consequenter; quia eadem entitas habet & considerabilitatem physicam, & moralem, hinc fit, ut aliâ sit & aliâ definitione definibilis ratio naturæ, physicè spectata, & ratio naturæ moraliter accepta.

PRÆMITTO 3. *Quòd bonitas sit natura Dei in esse morali spectata.* Quia natura est principium motus & quietis, ideo & in ordine morali illud erit natura, quòd est principium motus in ordine morali. Jam autem bonitas, est principium motus in ordine morali. Quòd ipsum sic declaratur. Bonum secundum rationem suam absolutam spectatum est quid perfectum, supra hoc perfectum fundatur postea ratio convenientis, quæ jam est respectiva; supra hanc ipsam ulterius fundatur ratio communicativi; quod ipsum communicativum aliud est elicivum; competitq; omni bono intellectuali; & aliud communicativum per appetitum naturalem, & sic est innata propensio ad uniendum se ei subiecto, quod perficere potest. Unde & formæ appellati solent, bonum materiæ.

PRÆMITTO 4. *Bonitas divina moralis, quæ est principium communicationis, & convenientiæ in Deo, in his dicit rationem naturæ.* Primo: quia est radix formalium sanctitatum reperibilium in Deo, & solâ ratione nostra distinctarum. Deinde: quia in ordine ad operationes, ita dirigit Deum, ut omnes ejus operationes sint sanctæ, ad quod alludit illa phrasis Scripturæ: & sanctus in omnibus operibus suis. Rursus; ita perficit subiectum ejus est natura, ut sit expedita ad pugnam cum quocunq; opposito sanctitati. Et sicut aqua est natura, dicit convenientiam ad ens materiale, dicit sui communicationem misto, estq; expedita ad pugnam, cum igne & calore sibi opposito; ita & natura divina quæ est Bonitas, habet etiam vim non tantum radicandi sanctitates formales in Deo, sed etiam pugnandi cum opposito peccato.

PRÆMITTO 5. *Plures etiam esse sanctitates in creatura rationali iusta.* Est sanctitas v.g. fortitudo. Quia quòd innititur motivis sanctis, & est principium actionis sanctæ, est utique & ipsum

sanctum. Utrumque autem hoc habet fortitudo habitualis, eaq; ut suppono, supernaturalis. Sed tamen non est fortitudo v.g. sanctitas, quæ sit participatio naturæ divinæ: quia hæc est radix omnium sanctitatum formalium, quod non competit fortitudini: certè enim illa non est radix ipsius gratiæ. Rursus est quidem fortitudo principium resistendi malo opposito. v.g. imbecillitati: quia tamen non est principium opponendi sese cuicunq; opposito malo formali, fit ut fortitudo non sit illa specialis participatio naturæ divinæ. Universaliter quæ illud non habet rationem naturæ in ordine sanctitatis absolute, quod non nisi particularem sanctitatem deposcit: Nam natura, absolute est radix reliquorum, principiumque opponendi se omnibus malis subiecti, in illo ordine.

PRÆMITTO 6. *Nullam esse perfectionem quam non exigit gratia in ordine supernaturali.* Exigit enim fidem, tanquam intellectum ordinis supernaturalis. Spem ut arduorum appetitum. Charitatem sicut fontem amoris, & alias virtutes. Et insuper nullum malum est cuius in ordine isto supernaturali, & sicut oportet ad salutem, non opponat.

PRÆMITTO 7. *Participationem naturæ divinæ, quam tribuit Auctoritas Sacra gratia, fieri in bonitate morali; quæ sit, radix reliquarum sanctitatum, & principium opponendi sese cuicunq; peccato.* Hoc innuit supra citatus S. Petrus. *Per hoc efficiamini divina consortes naturæ, fugeritis ejus, quæ in mundo est, concupiscentia corruptionis.* Ubi consortium naturæ explicat per fugam concupiscentiæ. S. August. epist. 120. c. 13. *Lei gratia iusti sumus, ut ipsa Dei iustitia nos iustos, cum pie & iuste vivimus.* Leo Serm. 1. de Nativ. *Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam; & divina consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem de genere conversatione redire.* His præmissis.

EXPLICATUR. Quid sit gratiam esse participationem naturæ divinæ. Natura est principium motus in eo in quo est. ut dixi Præm. 1. hoc principium potest esse etiam in genere moris, ut dixi Præm. 2. & tale in genere moris, principium est bonitas. ut dixi Præm. 3. consequenter etiam in Deo, bonitas erit natura in genere moris, ut dixi eodem Præm. Jam autem bonitas in Deo in tantum habet rationem naturæ, in quantum est radix sanctitatum formalium; in quantum item est principium in Deo opponendi se cuicunq; malo, ut dixi Præm. 4. Porro in Creatura plures sunt sanctitates: illa tamen habebit rationem naturæ, eritque participatio naturæ divinæ, quæ erit radix sanctitatum formalium; opponetque se cuicunq; malo in genere moris. ut dixi Præm. 5. Et quia sola gratia est talis radix, solaque se opponit, cuicunq; malo morali, fit ut sola sit natura, idque in genere morali & bonitatis, sitq;

Punctum Difficultatis 3.

Proponitur alius modus.

utque sola participatio specialis naturæ divinæ in genere moris, ut dixi Præm. 6. præcipue cum PP. hanc participationem naturæ divinæ, includam in gratia tribuant ipsi, ut, dixi Præm. 7.

DICES 1. Non est participatio naturæ divinæ, gratia in opponendo se peccato: quia sanctitas divina excludit etiam venialem culpam: cum tamen gratia non excludat.

RESPONDETUR inprimis. Sanctitas divina non opponitur etiam nisi mortali: quia hoc quod est ex objecto veniale, respectu Dei est mortale, adferret enim ei negationem omnis possibilis sanctitatis, & deperditionem esse divini, quæ damna aggravant illam venialitatem usque ad mortale. Ergo mortali, tam se opponit sanctitas divina, ac gratia. Deinde sufficit ut hæc participatio, sit inadæquata participatio Divinitatis.

INSTABIS. Ergo saltem non opponitur gratia omni peccato.

RESPONDETUR. Opponi omni peccato, non ita ut debeat illi cedere, sed ita ut sit principium ne ponatur veniale, & ut positum expellatur.

DICES 2. Non esse participationem naturæ divinæ gratiam: quia non est radix reliquarum perfectionum, nempe fidei, & spei.

RESPONDETUR. Prædictorum habituum gratiam non esse radicem emanativè, sed exigitivè, exigendo scilicet, ut à Deo immediatè ponatur. Sicut calor est passio ignis, licet antecederet ad formam ignis, ab alio ponatur nempe agente.

DICES 3. Possibilis est per nos substantia naturæ suæ impeccabilis, hæc diceret participationem naturæ divinæ inesse sanctæ, & tamen non esset gratia.

RESPONDETUR. Fore illam substantiam similem in hoc quod est, non esse principium peccandi: quia tamen non est principium sanctarum nonnisi operationum: defacto enim eliceret multas operationes quæ non essent formaliter sanctæ, exercendo scilicet operationes suarum potentiarum naturalium, sit ut dicat inadæquatè similem participationem, adeoque insufficientem, ut habeat formalitatem naturæ, cum tamen gratia sit principium nonnisi sanctarum operationum; formalitasque naturæ ex vi suæ definitionis utrumque, deposcatur. Deinde illa natura diceret participationem naturæ divinæ in ordine non excedenti, gratia in ordine excedenti, de quo ordine hic agitur.

INSTABIS. Possibilis est gratia quæ nullam oppositionem dicat peccato.

RESPONDETUR Neg. Antecedens. Nam quæcunque possibilis gratia, ex definitione fundata in Sancto Petro, est participatio Divinitatis in genere mortis, hæc autem excludit peccatum.

Præmemoria P. Gaspar Druzicki, vir in Spiritualibus, qualem sæcula ferunt, notus aliquibus editis opusculis, sed major in iis, quæ digna sunt ut edantur: in Fasciculo Exercitiorum, Exercitio circa Angelos, imaginatur distinctionem Chorum factam, secundum expressionem huius vel illius perfectionis divinæ, dicitque; v.g. Cherubinos exprimere suâ substantiâ sapientiam divinam &c. similia. Hanc ejus imaginationem ad præsentem materiam transfero scholastico more.

PRÆMITTO 1. S. Th. asserere quod gratia sit expressio divinæ bonitatis. Habet id 1. 2dæ. q. 110. a. 2. dicitque in Corp. præter auxilium speciale, quo Deus hominem movet ad agendum, ponendum etiam esse in anima iustificatorum habitum gratiæ; rationemque dat: quia non est conveniens, quod Deus provideat minùs his, quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quàm creaturis quas diligit ad naturale bonum habendum, creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat illas ad actus naturales, sed etiam largiatur illis formas & virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad huiusmodi motus. Hinc & illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, aliquam formam & qualitatem dat, & hæc qualitas est donum gratiæ, quod agit in animam non quidem per modum causæ efficientis, sed per modum causæ formalis; sicut albedo facit album. Hoc posito comparat inter se animam & gratiam, quæritque; quid horum duorum sit nobilius. Subditque. *Est enim, inquit, nobilior, quàm natura anima, in quantum est expressio vel participatio divinæ bonitatis.* Similia habet ibidem qu. 112. a. 1. in Corp. Ubi quærens, An solus Deus sit causa gratiæ? Respondet affirmativè, necesse est quod solus Deus deificet, communicando consortium divinæ naturæ per quandam similitudinem participationem, sicut impossibile est ut aliquid igniat nisi solus ignis. Idem inculcat. q. 113. a. 4. in Corp. & 3. p. q. 2. a. 10. ad 1. *Gratia, inquit, quæ est accidens est quoddam similitudo Divinitatis participata in homine.* Ubi S. Th. non simpliciter participationem, sed similitudinem participatam, gratiam appellat, idemque repetit q. 3. a. 4. ad 3. *Assumptio quæ fit per gratiam adoptionis terminatur ad quandam participationem divinæ naturæ, secundum quandam assimilationem ad bonitatem illius.* Idem repetit ibidem q. 62. a. 2. in Corp. *Gratia secundum se considerata perficit essentiam animæ, in quantum participat quoddam similitudinem Divini esse.*

PRÆMITTO 2. *Uniplicem cogitari posse participationem divinæ bonitatis.* Inprimis: communem

(T) 2

nem

nem quibuscunque entibus, quæ etiam participant, & assimilantur divino esse & bono esse, per bonitatem suam physicam, & hæc est communis omnibus entibus; Alia est similitudo & expressio divinæ bonitatis, quæ ea prædicata in creatura, quæ in se continet naturam divinam, in se creatæ exprimat per modum imaginis proportionatæ, quo modo verbum mentis dicitur expressio objecti: quæ ea prædicata quæ res in se continet intentionaliter repræsentativeque habet.

PRÆMITTO 3. *Non implicare ut detur aliqua creata qualitas expressiva naturæ divine.* Ratio. Tum quia, quæ in hoc implicantiæ? Habeturque vestigium in similibus imaginibus: Nam character per aliquos Doctores est signum naturale ducens in notitiam baptismi collati, non ad placitum, ut statua hominis non ad placitum effigiat hominem; nec ad placitum multa symbola res nobis exprimunt, ut Iris exprimit deciduam pluviam. Hinc cuicumque nationi proponantur, interdum eundem sui sensum ingenerant. Tum quia vel implicaret ideo dicta qualitas: quia esset accidens; & hoc non, quia visio Beata est accidens, & tamen est expressio Deitatis; vel ex eo: quia illa qualitas non esset quid intentionale & cognitio, sed non est de ratione expressivi, esse cognitionem, ut videre est etiam in pictis imaginibus; vel ex eo, quia Deus est quid increatum, secus illa qualitas. Et hoc non, quia cognitio est quid creatum, & tamen exprimens increatam Deitatem; & si datur expressivum naturæ divinæ per modum principii: nempe Lumen gloriæ, cur non dabitur expressivum per modum imaginis? Tum quia usitatum est S. Th. à proportionem naturalium arguere ad supernaturalia & altiora. Cum ergo in creatis dentur tot modi artificiat, exprimendi ejusdem objecti; cur etiam non dabuntur plures expressiones naturæ, bonitatisque divinæ.

PRÆMITTO 4. *Ex vi Phrasium PP. sequi, gratiam esse expressivam divinæ bonitatis.* Præter Auctoritates S. Thom. innuit idem Locus sup. cit. S. Aug. ep. 120. ubi dicit. *Ipsa Dei justitia nos sumus*, cumque non simus Dei Justitia entitative, erimus vi gratiæ repræsentative, quæ phrasim est Aristotelis, qui notitiam appellat objectum in cognoscente, h. e. repræsentative. Cyrillus contra Anthropomorphitas cap. 3. *Cum vos, inquit, Sanctificatio & justitia in Deum transformet*; Certè autem non transformat substantialiter. Ergo per modum expressivi, & imaginis Deitatis, quæ simili phrasi docet Aristot. intellectum fieri alia quorum habet formas; quod fieri alia, est per repræsentationem. Item Cyrillus dial. 7. de Trinit. loquens de Adami sanctificatione, impressa in illo est divinæ imago naturæ. Hier. ad cap. 4. ep. ad Ephes. *Signati sumus Spiritu Dei Sancto, ut & Spiritus noster, & anima imprimantur signaculo Dei, ut illam recipiamus imaginem, & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus.*

Basil. 5. contra Eunom. *Quod si homines ad similitudinem informare materias nequeunt aliter, nisi ideas ipsorum participant, quomodo ad Dei similitudinem ascendet creatura, nisi divini characteris sit particeps.* Ubi Basil. ad idealem expressionem Deitatis revocat gratiam, & ad characterem Deitatis.

PRÆMITTO 5. *In quonam stabit reipsa, hæc similitudo gratiæ ad naturam divinam?* Habetur imprimis hæc similitudo relationem transcendentalem ad Deum; non quomodocunque, & quæ sit illi communis cum aliis rebus, live naturalibus live supernaturalibus, sed insuper habebit relationem transcendentalem in ratione similitudinis; & quia relatio supponit fundamentum per modum prioris, hoc nihil aliud erit nisi imago quædam spiritualis naturæ divinæ; ita ut in gratia reperatur ejusmodi prædicatorum conjunctio, ut si illa penetraretur deveniatur in notitiam Sanctitatis divinæ, habentque simul illa prædicata gratiæ vim sanctificandi; ita ut ex illis intuitivè & ut sunt cognitis, cognoscatur natura divina ad eum modum, quo si non cognito intuitivè Deo, cognoscetur intuitivè visio alicujus Beati, hoc ipso nosceretur Deus, licet adhuc non in se, nec beatificativè: ut suppono ex 1. p. *His præmissis*

EXPLICATUR. Quid sit gratiam esse specialem participationem, & consortium naturæ divinæ. Gratia per S. Th. est expressio divinæ bonitatis, ut dixi Præm. 1. & quidè non tantum propter participationem communem aliis creaturis in esse divino, sed ex quadam similitudine, ut dixi Præm. 2. Cumque non implicet qualitas expressiva naturæ divinæ; ut dixi Præm. 3. & cum Auctoritates PP. tribuant illam gratiam, ut dixi Præm. 4. sunt gratia sit talis expressio, quæ ipsa expressio non stabit tantum in aliqua relatione ad naturam divinam, sed dicet relationem similitudinis ad eandem licet imperfectam. Cujus fundamentum erit esse imaginem quandam spirituales naturæ divinæ prout natura est, & sancta est, consequenter specialis participatio naturæ divinæ competens gratiæ stabit in hac similitudine ad divinam naturam.

INFERO 1. Independentem ab omni appropriatione divina in ratione filii, constituit creaturam justificatam ipsa infusione gratiæ, ita ut ad filiationem specialis favor non sit necessarius præter ipsam infusionem gratiæ, præsupposita condonatione peccati. Ratio. quia sufficit ad filiationem naturalem habere naturam similem. Ergo magis ad filiationem adoptivam sufficit prædicta similitudo. Non ego tamen quod favor divinus consequatur infusionem qualitatis hujus.

INFERO 2. Filiationem quam nos admittimus, esse minorem naturalem; majorem merè adoptivam: quia merè adoptiva solam moralitatem importat sine contributione alicujus physice participationis in natura.

INFE.

R. P.
THE MLC
ZIANOWS.
Tom. 1. e.
D. V.

INFERO 3. Independentem ab extrinseco pacto, convenit quidem gratiæ radicale jus ad gloriam: Si enim filii & hæredes, non tamen proximum & completum, de quo consulantur dicenda de Merito.

DIFFICULTAS III.

De oppositione Gratia cum Peccato.

VIDEANTUR dicta in Matth. de Pœnit. quod scilicet seculâ condonatione divina, possint secum stare peccatum & gratia: Nunc Universalis quaeritur, de alia specie distincta Gratia, cui sit impossibile, stare cum peccato.

DICENDUM est: *Non esse possibilem talem qualitatem.* Est contra Rozmer ex Autoribus discurrentem pag. 137.

PROBATUR 1. Quia & non posset stare cum peccato ut supponitur, & posset stare: quia quacumque qualitate positâ, manet adhuc Deus liber, & non necessitatus, ne condonet peccatum: quia infinitudo vel simpliciter, vel secundum quid inclusa in peccato est tanta, ut nulla pulchritudo, gratiositasque creata possit esse illius se solâ depulsiva; non enim habet prædicatum opponibile ad æqualitatem illi infinitudini. Quod enim illud? Quod si positâ illâ qualitate manet adhuc Deus liber ne condonet peccatum, ergo adhuc poterit stare peccatum cum gratia: quia Deo non condonante peccatum, non potest non manere habitualiter offensa illius, quomodo enim non manet offensa, si manet offensus, & non condonans.

PROBATUR 2. Quia illa qualitas vel esset quid finitum, vel infinitum: non infinitum: quia hoc implicat; non finitum: quia a finito infinitum non est natum depelli, & exhauriri ex prædicato transitus inconsummabilis. sed etiam posito, quod illa gratia sit quid infinitum. Quæro, vel est æqualis infinitudini divinæ taxanti mortale, vel non æqualis. Si æqualis. Ergo implicat, implicat enim æqualitas cum Deo. Si non æqualis. Ergo non habet vim exhauriendæ majoris infinitudinis.

PROBATUR 3. Si esset possibilis talis qualitas esset etiam possibile meritum creatum, meritum infusionis talis gratiæ. Cur non enim? Non potest autem hoc dici: quia pura creatura per modum meriti posset abolere mortalem offensam: posset enim emereri qualitatem illius indispensabiliter expulsiivam; & tamen supponit Theologia nullam puram creaturam posse vel satisfacere, vel tollere: (hæc enim in æstimatione morali pro eodem haberentur) offensam mortalem.

ADDO per modum Conclusionis, quod ex adjuncto possit aliqua qualitas repugnare cum peccato. Ut si dicat Deus: volo cum hac qualitate nunquam stare negationem condonationis, adeoque peccatum, &c.

OBJICIT 1. Rozmer, Per multos unio hypostatica etiam prout distincta a personalitate Verbi, est talis, ut cum illa, nulla ratione consistere possit peccatum.

RESPONDETUR. Si cum unione hypostatica staret peccatum propter communicationem idiomatum in illa fundatam: hoc ipso Deus esset peccator: quod non contingeret, si cum aliis qualitatibus staret peccatum. Unde non ex vi qualitatis hoc habetur, sed ex vi termini intrinseci, quem respicit unio.

OBJICIT 2. In Deo est talis sanctitas cum qua non potest stare ullum peccatum; nec potentia peccandi. Quæ implicantia, quare tale prædicatum non sit participabile ab aliqua creatura?

RESPONDETUR. Quia nulla creatura potest habere prædicatum adæquans infinitatem divinam taxantem offensam. Deinde: Deo debet tribui omnis possibilis sanctitas: quia autem nulla creata sanctitas, est omnis possibilis sanctitas, fit, ut nulla possit esse abolitiva peccati se solâ.

OBJICIT 3. De facto conceditur gratia quæ exigit physicè remissionem peccati; ita ut per oppositum fieret illi violentia. Ergo nec implicabit qualitas, quæ ita exigit remissionem, ut hæc non possit non poni.

RESPONDETUR. Negando Conseq. quia est a minori ad majus via affirmationis. Deinde: quia illa priori qualitate positâ, non sequeretur poni prædicatum æquale infinitudini peccati; posteriori autem qualitate positâ poneretur tale prædicatum; non potest autem poni ex dictis.

OBJICIT 4. Non implicat qualitas quæ se ipsâ pendeat immediatè a Deo. Ergo non implicat qualitas, quæ sit participatio naturæ divinæ; & simul complementum ultimum liberi decreti formaliter condonantis. Sed hæc qualitas est impossibilis cum peccato, ut per se patet.

RESPONDETUR. Negando per se patere. Quia illa qualitas non erit impossibilis ex vi essentia cum peccato; adeoque non indispensabiliter, sed ex adjuncto illius decreti, quod ipsum sicut liberum est respectu cujuscunque creatæ qualitatis; ita & assumendo illam qualitatem, non assumit illam ut se necessitantem ad condonationem. Et per hoc solvitur argumentum ejusdem 5. & 6.

INSTAT Idem. De facto albedo, si producat in subjecto capaci, debet necessario produci per actionem, quæ sit ultimum complementum liberi decreti, quo Deus vult illud subjectum esse album. Ergo non implicabit talis qualitas, quæ essentialiter exigit produci per actionem, quæ sit complementum liberi decreti condonantis Dei.

(T) 3

RESPON-

RESPONDETUR. Concedendo totum : quia probat ex adjuncto illam qualitatem esse impossibilem cum peccato, & non nisi ex suppositione adjuncti essentialiter exigit produci dictâ actione. Paritas etiam non tenet : quia posita per impossibile independenter à decreto divino albedine in subiecto apto, hoc ipso jam esset album. Jam autem posita per impossibile independenter à decreto divino, illâ gratiâ qualitate, non sequeretur jam Deum necessitari ad condonandum : posset enim adhuc in illa suppositione in ordine ad condonandum esse liber. Deinde nullum est prædicatum, in quo deficiat albedo, ut tribuat suum effectum ; est autem defectus prædicati in gratia ; quod sit opponibile infinitudini peccati ; quo prædicato non sublato, manebit offensâ, adeoque peccatum. Denique necessitatur Deus ad effectus formales non impediendos, casu quo ponatur forma in subiecto apto. Negatur autem & non probatur oppositum. Quod scilicet præter effectum formalem, qui est reddere subiectum habens gratiam, sit in gratia per modum effectus formalis, depulsio peccati.

OBJICIT 5. Idem. Non implicat aliqua creatura intellectiva incapax erroris positivi. Item voluntas creata libera determinata ad solum bonum honestum. Ergo nec implicabit qualitas essentialiter impossibilis cum omni peccato mortali.

RESPONDETUR. Disparitatem esse : quia in casu Anteced. nulla ostenditur implicantia ; nec argueretur ulla infinitudo ; ut arguitur in casu præsentis.

OBJICIT 6. Eodem jure dici posset, implicare qualitatem quæ habeat connexionem physicam & realem cum condonatione peccati ; erit enim infinita bonitatis.

RESPONDETUR. Non esse rectam illationem, ut si aliquid non possit majus, non possit minus. Minus autem est movere Deum ut liberè condonet, quàm necessitare. Deinde in istis quæ dispensabiliter contingunt, non est necessitas, ut sit æqualitas prædicatorum quæ proportio, secus in istis quæ indispensabiliter. Præcipue quia vis illa motiva non est aliud nisi participatio naturæ divinæ specialis, quæ si datur, entitate sua deponit, ne detur ei quem Deus odit, non includendo hoc ipso ullam infinitatem.

INSTAT. Si homo deberet alteri infinitas pecunias, & in debitum solvendum offerret illi unum obolum ; non diceretur hic habere exigentiam ad delendum totum debitum. Ergo neque ulla qualitas possibilis habebit exigentiam, utpotè finita ad remissionem mortalis.

RESPONDETUR. Hæc obiectio probat non esse possibilem qualitatem gratiæ, quæ indispensabiliter exigit condonationem mortalis, sicut nec obolus ille exigit, ut deleatur totum debitum, adeoque hæc obiectio est pro nobis.

Quodsi urgeatur obiectio, ad probandum, quod nullo modo exigit gratia condonationem divinam, id jam erit contra nos, sed disparitatem habet. Quia nec potest (ut supponitur) aut ratione materiæ, aut ratione raritatis, aut ratione edicti, habere ille obolus vim abolendi debiti infiniti ; cum tamen prædicatum inclusum in gratia, quod scilicet gratia sit specialis participatio naturæ divinæ, id exigit.

OBJICIT 7. Non implicat qualitas quæ peccatum deleat, non quod sua bonitate addeat illud, sed quod habeat formalem oppositionem ad illud, quâ ratione assensus finitus repugnat cum dissensu infinito, amor finitus cum amore infinito. Actus finitus condonationis posset debitum infinitum abolere.

RESPONDETUR. Non potest tunc statui oppositio formalis, si altera opposita forma non habeat quod opponat alteri formæ. Sic non est oppositio formalis inter album & rubrum : quia non habet quod sibi opponant. Consequenter si gratia non habet quod opponat infinitudini peccati, hoc ipso non erit oppositum indispensabiliter. Quod ad priores duas Instantias. Non implicabit illos duos actus secum stare, sed posito quod non possint secum stare, victoria ellet penes fortius, consequenter debitum patiens esset penes debilius, adeoque remaneret tunc dissensus infinitus, cederet assensus finitus. Et ex proportionem, quia gratia esset carens prædicato infinitudinis etiam secundum quid, abundaret illo peccatum, remaneret tunc peccatum, & gratia quæ est debilior cederet. Quod attinet ad condonationem, dici potest in primis, quamvis esset condonatio finita : quia non haberet minus virium ad exhauriendum debitum infinitum, quàm infinita, utraque enim est formale non esse debiti, sit ut si infinita condonatio expellat debitum infinitum, expellere etiam possit finita, jam autem gratia finita non haberet hoc quod infinita. Imò etiam si esset infinita nondum se solâ esset expulsiva peccati ; consequenter multo minus illud expellere poterit si ponatur finita. Deinde hoc ipsum resolvitur in hoc principium : quia negatio condonationis est esse debiti. Ergo condonatio erit non esse debiti ; habent se enim sicut non esse luminis, quod est esse tenebrarum, & esse luminis quod est non esse tenebrarum. Consequenter inter condonationem & debitum erit proportio sicut esse & non esse, quæ nullo modo se compatiuntur ; quia autem non se ita habent peccatum & gratia, sicut esse & non esse, accedente adhuc in peccato, illo prædicato excessivo infinitudinis, sit ut se compati possit : neque enim definitivè peccatum est negatio gratiæ, nec e converso. Breviter ; quia contradictoriè opponuntur non esse condonationis inclusum in offensâ, cum esse condonationis, hinc posita condonatione, impossibile est esse offensam. Quia autem

R. P.
THE M.L.L.
ZIANOWS.

Tom. I. c.

D. V.

autem non potest ostendi similis oppositio inter peccatum & gratiam quacumque tandem specie gratiæ posita, ideo peccatum & gratia stare secum poterunt.

Quomodo autem cum hoc stet, gratiam esse unicam causam nostræ justificationis, de hoc actum aliàs. Adferri posset & illud ex Bertoldo de gratia sanctificante n. 95. quod aliud sit esse formam, & aliud dare effectum formalem: quia ad hoc posterius, non solum requiritur forma in subiecto, sed etiam proportio subiecti, ut ostendit Inductio, non est autem subiectum proportionatum gratiæ peccator, si desit condonatio; addique ex eodem potest, quod eo casu non esset illa creatura amica & non amica Deo, in actu secundo: hoc enim implicat, sed amica in actu primo proximo, non amica in actu secundo.

DIFFICULTAS IV.

An Gratia à Charitate sit distincta realiter?

Esse distinctam docet Suar. Valent. & post illos Ripalda d. ult. n. 67. Ovied. de Justif. tr. 8. contr. 1. n. 72. inclinaturque S. Thom. hic q. 110. a. 3. & 4. Negat Scotus, Bellarmin. Less. & post illos Kon. d. 21. dub. 7.

ASSERO 1. *Possibilem esse gratiam qua sit principium actuum amoris per se ipsam.*

RATIO. Quia id non implicat, & si non implicat anima (imò per nos talis est defacto) cui identificetur realiter intellectus & voluntas; & quæ sit immediatum principium suorum actuum. Ergo etiam poterit in ordine supernaturali dari forma elevans ad gradum filiorum Dei, & simul principians actus amoris. Imò quod dico de identificatione cum charitate; Idem dico de identificatione cum habitu fidei & spei, nisi quod à posteriori colligamus defacto istos habitus non esse identificados; eò quod fides doceat, dari separationem realem gratiæ, à fide & spe. Tantum identificari non posset habitibus acquisitis. Nam cum illi ex frequentatione actuum adveniant, præexistenti identificari non possunt.

ASSERO 2. *Possibilem esse gratiam distinctam realiter à charitate.*

RATIO. Quia nec pro hoc ulla implicantia. ASSERO 3. *Probabilem esse gratiam esse indistinctam realiter à charitate.*

RATIO prima sit Auctoritas Scripturæ & Trident. Tribuunt enim frequenter effectus eosdem gratiæ & charitati; prædicaturque eadem, quod falsum esset, si hæc duo essent distinctæ realiter. Et ita gratia per S. Petrum est confortium seu participatio naturæ divinæ, & idem tribuitur à S. Joanne charitati. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Justificatio tribuitur gratiæ per Trid. eadem tribuitur ab Aug. charitati: cha-

ritas, inquit, inchoata, inchoata justitia est. Charitas perfecta, perfecta justitia est. Evang. dicit, remittuntur ei peccata multa: quia dilexit multum, justificationem tribuendo charitati, idem tribuit Trid. gratiæ Sess. 6. de Justific. cap. 6.

RESPONDERI 1. solet. Ex eo quia remissio peccati tribuitur charitati, colligi non posse, quod idem realiter sit cum gratia: nam etiam fidei tribuitur salvatio, eleemosynæ remissio peccati; & tamen hi habitus non identificantur realiter charitati; poterit ergo justificatio tribui charitati, tanquam proximo & immediato principio operativo, gratiæ autem tanquam radici.

CONTRA. Tum quia. Nullibi legitur quod eleemosynæ tribuatur constitutio in esse Filii Dei, quæ tamen est definitiva formalitas gratiæ, & hæc formalitas tribuitur charitati; erit ergo specialius fundamentum identificandi hæc duo. Tum quia obest ut de fide, vel de eleemosyna, simpliciter, & ut sonant verba accipiantur, non obest autem ut simpliciter de gratia, & charitate accipiantur. Tum quia. Posito quod identificetur gratia charitati habebit duplicem formalitatem, & principii operativi, appellabiturque charitas; & principii constitutivi in esse Filii Dei, & appellabitur gratia, hinc allata responsio nihil contra nos assumit: non enim assumit, hæc tribui charitati tanquam principio operativo, distincto realiter.

RESPONDETUR 2. cum Suar. Ideo Trid. indifferenter utitur utroque nomine, ut utrique sententiæ probabilitatem non auferret.

CONTRA. Tum quia. Hæc responsio dat nobis intentum. Tum quia. Si aliquis vellet abstinere ab hac controversia. An licet Chmelnicius possideret Ukrainam, non deberet unquam dicere, licet possidere. Sic & Trident. Si voluisset abstinere ab hac controversia; an charitati posset tribui justificatio, quæ tribuitur gratiæ; debuisset nihil loqui de utraque parte, & tamen Tridentinum suâ phrasi, & gratiæ, & charitati tribuit justificationem. Tum quia arbitrariè hoc asserit Suar. nec accipit verba simpliciter, sed cum sua interpretatione. Quando autem dicunt, loca illa debere intelligi de charitate actuali, id non convincit: quia illic loquuntur de charitate justificativa per modum alicujus immanentis & inhaerentis, adeoque de aliquo habituali.

RESPONDERI solet 3. cum eodem. Quando charitati tribuitur justificatio, sumi charitatem pro amicitia inter hominem, & Deum, quæ in se includit, & dilectionem hominis erga Deum, illiusque dilectionis principium, hoc est habitum, & simul dilectionem Dei erga hominem, eamque cum suo termino supernaturali, quod est gratia accepta.

CONTRA. Tum quia. In sententia identificante gratiam charitati, sub diversa formalitate sine ulla distinctione reali, possent salvari ea quæ

(T) 4 assumit

assumit responsio, & si addatur hæc proficisci tanquam à principiis distinctis realiter; hoc ipsum probandum erit, ne assumatur id quod est in questione. Tum quia: Etiam hæc Responsio non accipit verba ut sonant simpliciter, sed cum interpretatione, & tamen nihil vetat ea simpliciter accipi. Tum quia. Assumit hæc doctrina quod amicitia Dei erga nos sit gratia, quod formaliter loquendo, falsum est, est enim gratia effectus potius amicitiae.

Hanc ipsam Responsionem aliter format Ripalda citatus: Sumi hic charitatem pro dono, quo sumus chari, & diligibiles Deo; hoc autem donum gratia est.

CONTRA. Tum quia. In usu & acceptione vulgari, charitas non accipitur pro eo quod nos facit diligibiles alteri. Ergo nec verba Trid. & scripti. debent sic accipi. Tum quia. Cum possit ly charitas accipi, pro habitu, danda erit ratio cur in presenti accipi non possit. Tum quia. Quando recurrit ad hoc, tribui prædicta charitati, ut actus, non ut habitus est, redit difficultas; quare id asserat.

RATIO 2. ex principio simili quod usurpare solent oppositi. Deus in ordine supernaturali perficit hominem modo proportionato, quo eundem perficit in ordine naturali. Hanc Majorem assumit S. Th. frequenter, fundaturque in illo Pauli: Invisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sed in ordine naturali, præcipue in composito ex forma accidentali, datur principium quod simul est operativum, & non tantum constitutivum. Ergo etiam in ordine supernaturali erit taliter; non esset autem taliter, si gratia non foret identificata charitati. Minor probatur. Nam calor v. g. constituit calidum, & simul est operativus, idemque verum est de aliis compositis accidentalibus, quæ supponuntur esse quæ talia operativa. Rursus si per nos intellectus identificatur realiter animæ. Cur non identificabuntur gratia & charitas. Quod autem in aliis principiis formæ habeant distincta realiter principia accidentalia agendi, sicut v. g. calor est distinctus realiter à forma ignis, hujus reddita disparitas in physicis. Quia scilicet debent hæc formæ interdum agere non conjunctæ, hinc illis natura tribuit vicaria accidentia, quæ ratio non currit pro gratia & charitate: non enim separatim à gratia, datur actio habitus charitatis. Imò etiam in principiis Thomisticis Disparitas est: quia scilicet: tunc principia activa à formis constituentibus distinguuntur, quando formæ constituentes sunt substantiales: hoc autem non competit gratiæ, quæ est forma accidentalis. Non nego tamen quod gratia indigere debeat aliis habitibus ad actiones sibi quæ tali non proprias, ut ad actus fidei, spei, misericordiae.

RATIO 3. Ex principiis negativis. Tum quia. Si nihil obsit, specialis participatio naturæ

divinæ debet assignari quàm simillima naturæ divinæ: hoc enim exigit ipsum prædicatum similitudinis, esset autem magis similis, si identificet sibi principium operationum quod est charitas: Cum etiam Deus identificet suæ naturæ principium operandi, nec huic identificationi ponendæ in gratia obest ratio, vel Auctoritas: hocque videtur respexisse S. Paulus dum gratiæ tribuit aliquid suum esse: gratia Dei sum quod sum, & simul etiam tribuit vim operandi: dicit enim illam in se non fuisse vacuum. Tum quia. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ergo cum possit esse gratia distincta realiter, sed etiam indistincta à charitate, potius erit identificanda: ita enim erit minus entium. Tum quia. Quamvis in oppositum citetur S. Th. nihil vetat illum intelligi de distinctione gratiæ & charitatis, ratione connotatorum, vel distinctione rationis ratiocinatæ. Cum stare videatur pro nobis 1. 2dæ. q. 23. a. 2. ad 2.

DICES 1. In oppositum esse Viennense, & Trident. prius quidem dicit, in Baptismo conferri gratiam & virtutes. Ubi condistinguitur gratia à virtutibus. Nemo autem dubitat charitatem esse virtutem, & Trid. Sess. 6. can. 11. anathematizat eos, qui dicunt hominem justificari exclusâ gratiæ & charitate; imò etiam scriptura condistinguit de utroque agit. Gratia Domini nostri Jesu Christi & charitas Dei.

RESPONDETUR. Quod ad primum attinet, suffecerit nomine virtutum, accipi reliquas virtutes, à charitate distinctas; quæ licet etiam sit virtus, non est necesse ut sit distincta realiter: nam de hoc nihil loquitur Viennense. Trident. nihil etiam loquitur de distinctione; imò cum Justificationem & gratiæ, & charitati tribuat, supponit pro eodem hæc sumi; cum alias dicat unicam esse causam formalem nostræ justificationis. Scriptura nihil etiam loquitur de distinctione reali.

DICES 2. Virtus & potentia, dicuntur per ordinem ad aliquam naturam præexistentem, sed charitas est virtus. Ergo dicitur talis ad præexistentem gratiam.

RESPONDETUR. Sufficere præexistentiam non physicam, sed rationis, qualis est præexistentia animæ respectu virtutis intellectus, quæ sibi identificat. *Eundem medium terminum, sed aliter proponit Oried.* Habitus charitatis ex sua ratione habet tantum constituere hominem dilectorem Dei, nullumque est fundamentum, quod aliud prædicatum in habitu charitatis demonstret, sed hoc formaliter non esse hominem sanctum, est esse objectum dignum amore Dei, sed esse dignum amore, & esse potentem amare, est quid distinctum realiter: non enim ex eo quod quis possit Regem amare dignus existit amicitia Regis; hæc autem dignitas tribuitur in suo ordine gratiæ Dei.

RESPONDETUR. Habitus charitatis sub forma-

QUESTIO II.

De necessitate Gratiae.

PRÆMITTO 1. *Non esse jam in hoc difficultatem scholasticè examinandam, quòd gratia sit necessaria ad actiones salutares & ut oportet*, hoc enim est articulus fidei fundatus in scriptura, Non ego sed gratia Dei mecum, Converteme Domine & convertar. Hier. 31. & Joan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Docet idem August. in omnibus locis contra Pelagium, & demum Trid. Sess. 6. Can. 3. docet: Sine præveniente Spiritu Sancti inspiratione hominem, credere, sperare & diligere prout oportet ut ei justificationis gratia conferatur, minimè posse.

PRÆMITTO 2. *Non tantum ad primam infusionem habitus fidei in adultis, indigemus gratia præveniente, sed etiam supposito habitu fidei, eadem indigemus ad justificationem nec sufficit sola adjuvans.*

RATIO. Tum quia. Citatae auctoritates loquuntur de omni operatione supernaturali, ergo sine fundamento ad solam infusionem fidei restringetur necessitas gratiae, locutionesque istae deponunt gratiam, non in ipso tantum operari, sed & ante opus, unde August. lib. 2. de pecc. mer. cap. 18. ait; quòd ad Deum nos convertamus, nisi ipso excitante & adjuvante non possumus, ubi etiam excitantem gratiam quæ initium dat operi, & non tantum adjuvantem quæ in ipsum progressum boni operis influit, requirit. Tum quia. In ordine naturali, ad unamquamque feriem actionum indigemus & cogitationibus à bona fortuna injectis, & concursu divino. Ergo & in ordine supernaturali, non tantum excitanti, sed & adjuvanti, nec tantum adjuvanti sed etiam excitanti gratia indigemus. Tum quia. Non est ratio cur indigemus non tantum adjuvanti, sed etiam excitanti gratia ad primam infusionem habitus fidei, & non etiam de cætero. De quo fusiùs consule Ripald. d. 146. n. 4.

DICES 1. cum Vega. Possumus odisse subito quos diligebamus, & contra diligere quos ode-ramus. Ergo peccatores non excitati, possunt pro libitu odisse cum gratia adjuvante.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de fide, quia possumus etiam subito credere post propositionem objecti sufficientem. Directè autem dici potest quod possumus & credere, & justificari sine gratia præveniente, & motibus indeliberatis, sed id non fieri, quia connaturalior est modus, non prorumpendi ex templo, ad actus deliberatos.

DICES 2. Sufficit ut illi actus ad sui supernaturalitatem salvandam fiant ex habitu supernaturali, ergo neque necesse erit, ut antecedentes justificationem, fiant ex prævenienti gratia, quia adjuvans supplebit vicem habituum.

RESPON-

formalitate charitatis, id tantum habere quod assumit Major, secus sub aliis formalitatibus, & licet in humanis esse dignum amore, & esse potentem amare, sit aliud, secus in ordine supernaturali: quia in humanis duo illa separari possunt: non ostendit autem experientia hæc duo esse separabilia in ordine supernaturali; quæ inseparabilitas licet rejici possit in ordinem à Deo factum: attamen rejici potest etiam in conditionem entis; & ut de facto rejiciatur, evincunt rationes pro Conclusionem.

INSTAT 1. Hoc quod est forma prima dans esse supernaturale debet esse tale, cui debeantur reliqua cum esse illo supernaturali connexa. Sed sola gratia & non charitas est talis: quia supernaturales virtutes, aliæ sunt intellectus, aliæ voluntatis; charitas autem quæ est virtus voluntatis, quomodo erit radix virtutum intellectus.

RESPONDETUR. Charitatem sub formalitate charitatis non esse principium exigitivum intellectus, sed præsuppositivum, licet sub formalitate gratiæ sit tale exigitivum, ad eum modum, quo anima non sub formalitate voluntatis, sed sub formalitate animæ, est radix intellectus.

INSTAT 2. Charitas est appetitus quidam naturalis, appetitus autem sequitur naturam & rationem, quæ in præsentem non potest esse alia quam gratia.

RESPONSUM. Charitatem sub formalitate charitatis esse appetitum, non sub formalitatibus aliis.

INSTAT 3. Ripalda. Potest distingui realiter gratia à charitate. Ergo & realiter distinguitur, quia eo pacto, ordo gratiæ conformiter statuitur, ordini naturæ inferiori, & ordini superiori unionis Hypostaticæ, utrumque autem horum simpliciter unicum principium existit accidentium, ac virtutum accidentalium.

RESPONDETUR. Identificatâ charitate cum gratia, adhuc erit unicum principium virtutum; nec sequetur; quòd sicut ab unionem Hypostaticam distinguitur charitas, sic eam distingui à gratia: quia nunquam charitati tribuitur, ut faciat indistans substantialiter, quod tribuitur unioni. Jam autem quæ prædicata tribuuntur gratiæ, tribuuntur & charitati.

DICES 3. Gratia est forma justificans. Charitas non est forma justificans; Nam si actus charitatis non justificat formaliter, nec justificabit habitus, non enim confert subjecto majorem redditum. Unde dicit Aristotel. 9. Methaph. Textu 19. Melius est bene agere, quod pertinet ad actum, quam posse bene agere, quod pertinet ad habitum.

RESPONSUM alibi, suo modo etiam actum charitatis nos sanctificare; & immediatè dictum, quod charitas non sub formalitate charitatis sanctificet nos, sanctitate, quæ sit participatio naturæ divinæ, sed sub alia formalitate.